

sacrificium, et ipsa celebratione sacramenti fieri immolationem Christi, quatenus fit repræsentatio passionis ejus; sic ergo eadem actio est præparativa et factiva victimæ quatenus est physica et realis conversio substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Est autem oblatio et sacrificatio, quatenus est talis actio sacramentalis, separans ex vi verborum mystice sanguinem a corpore, ut repræsentant effusionem cruentam crucis, quæ sunt formalitates valde distinctæ, et de potentia absoluta possent separari, quia bene posset converti panis in corpus Christi sine conversione sanguinis seorsum a corpore. Imo de facto potest sacerdos solum consecrare panem, et non calicem; quo casu non offerret sacrificium, ut supra diximus. Quando ergo utrumque fit eadem actione, non repugnat simul esse consecrationem, quæ præparet et faciat victimam, constituendo hic corpus Christi, et simul sit immolativa et oblativa ipsius, separando mystice sanguinem a corpore.

XLIX. Ad primam confirmationem respondetur, consecrationem esse invisibilem ratione virtutis et effectus, quem facit physice; sacramentaliter tamen esse visibilem ratione verborum quibus fit, et specierum in quibus fit, sicut aliæ actiones quæ fiunt circa corpus Christi invisibile, et in quibus constituitur ratio sacrificii, redduntur sensibiles ratione specierum. Ad locum Concilii Tridentini dicitur dari potestatem sacerdotibus ad consecrandum et offerendum, non tamen ut id faciant distinctis actionibus, sed una habente omnes illas formalitates. Et præterea non repugnat a sacerdote separari istas actiones, ut si consecraret unam tantum speciem; tunc enim valide consecrat illam, et tamen non offert sacrificium, quia

hoc requirit utramque speciem, ut sit sacrificium secundum ordinem Melchisedech.

L. Ad secundam confirmationem negatur in die parasceves fieri sacrificium, aut illam cæremoniam, quæ tunc fit, esse missam, ut supra disputatione secunda ostendimus; nec tenentur fideles audire illam, si sit dies festus, ut constat ex declaratione congregationis cardinalium sacrorum rituum, quam ibi retulimus; et magister Nugno non potuit illam videre, quia post ejus mortem facta est. Imo inde nos confirmamur in nostra sententia, quia illa cæremonia non est missa, et tamen sumitur ibi una species; ergo sacrificium non consistit in oblatione, vel sumptione unius speciei. Fit autem illa cæremonia a solo sacerdote; tum, propter repræsentationem ipsius Christi patientis; tum, quia debet tangere immediate ipsum corpus Christi, quod solum pertinet ad sacerdotem. Quod autem sit cæremonia religiosa illa vel aliæ quæ fiunt post consecrationem, non sequitur quod sint sacrificium, quia hoc solum potest constitui in ea actione, quam Christus instituit, ut repræsentaret suam passionem, non in alia actione, etiamsi religiosa sit.

LI. Ad ultimum respondetur, non esse necessarium quod effectus sacrificii conferatur quando fit, sed toto tempore quo durat sacrificium est locus applicandi fructum illius. Et ut advertit S. Thomas hic quæstione LXXXIII, art. IV, post consecrationem petit sacerdos ipsius sacrificii et sacramenti effectum quantum ad ipsos sumentes, et quantum ad mortuos, et quantum ad ipsos sacerdotes offerentes: et similiter pro vivis offert sacerdos ante consecrationem, et tamen non applicatur fructus sacrificii nisi post consecrationem ex priori intentione. Fructus ergo sacrificii non confertur so-

lum in illo instanti, quo fit sacrificium, sed juxta applicationem sacerdotis toto tempore quo durat.

ARTICULUS III.

De valore et applicatione sacrificii hujus.

PRIMO QUÆRITUR, AN SACRIFICIUM ISTUD HABEAT VALOREM IMPETRATIVUM ET PROPITIATORIUM PRO PECCATIS.

I. Respondetur affirmative. Est de fide definita in Concilio Tridentino sess. XXII, cap. II, et can. III, ubi definitur offerri et prodesse hoc sacrificium pro fidelium peccatis, pœnis et satisfactionibus, et aliis necessitatibus; et pro defunctis nondum in Christo plene purgatis. Et ratio sumitur ex eo, quia hoc sacrificium non est minoris efficaciam, quam sacrificia antiquæ legis, si quidem sacerdotium antiquum erat imperfectius, et ad illius consumptionem necesse fuit surgere sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ut argumentatur Apostolus ad Hebr. VII; ergo etiam sacrificium secundum ordinem Melchisedech est perfectius; sed sacrificia antiqua proderant pro peccatis vivorum et mortuorum; nam pro vivis constat præcipue ex capite IV et V Levitici, ubi ponitur ritus sacrificiorum, pro quibus dicitur dimitti hominibus peccata, vel propitiari Deum: pro defunctis autem constat ex secundo Macchabæorum XII, ubi dicitur Judam misisse Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium: ergo a fortiori nostrum sacrificium valet pro vivis et defunctis.

II. Constat secundo ex traditione Ecclesiæ, in qua sacerdotibus datur

potestas in eorum ordinatione ad offerendum sacrificium pro vivis et defunctis: et ex communi usu fidelium, qui hoc sacrificium offerri faciunt pro vivis et defunctis; et ex ipsis orationibus Ecclesiæ, quas recitat in missis pro quibuscumque necessitatibus tam vivorum, quam defunctorum.

SECUNDO INQUIRES, UTRUM HOC SACRIFICIUM HABEAT ALIQUEM EFFECTUM EX OPERE OPERATO, VEL SOLUM EX OPERE OPERANTIS.

III. Respondetur utroque modo habere effectum. Distinguitur autem effectus ex opere operato ab effectu ex opere operantis, quod ille datur intuitu meritorum Christi, et ex institutione ipsius, quia merita sua applicuit tali vel tali operi; effectus autem ex opere operantis datur intuitu proprii meriti facientis opus; et talis valor crescit vel minuitur juxta dispositionem aut valorem ipsius merentis. Dicimus ergo, quod hoc sacrificium, non solum in quantum sacramentum (quod solum prodest ipsi sumentibus) sed etiam in quantum sacrificium, quod offertur pro aliis, habet valorem ex opere operato, seu intuitu meritorum Christi; et etiam ex opere operantis, tam in persona Ecclesiæ, quam sacerdotis. Quod valeat ex opere operato, deducitur ex Concilio Tridentino citata sessione XXII, cap. I, ubi inquit: « Reliquisse Christum Ecclesiæ visibile sacrificium, quo cruentum illud in cruce semel peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, ejusque salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; » sed virtus illa salutaris, quæ in hac oblatione applicatur, est virtus meritorum et satisfactionis

Christi: ergo habet valorem ex opere operato.

IV. Et confirmatur ex perpetua traditione Ecclesiæ intelligentis sacrificium hoc nulla sacerdotis indignitate coinquinari, sed semper sortiri suum principalem effectum; alias semper fideles essent incerti, et anxii de fructu sacrificii, præsertim pro defunctis; si non haberet valorem ex opere operato Christi, sed ex opere operantis tantum; tunc enim si sacerdos non esset in gratia, periret ille valor fundatus in merito ipsius.

V. Quod etiam habeat effectum ex opere operantis, est communis sententia, et docetur catechismo Pii V, sub finem tractatus de sacrificio. Et constat, quia est actus maxime meritorius et satisfactivus, cum sit actus religionis excellentissimus, et imperatus a fide, quæ maxime in hoc mysterio resplendet: ergo habet valorem fundatum in merito ipsius operantis. Item quia sic valebant sacrificia antiqua, ut colligitur ex illo Daniel III: *Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, etc.* ergo etiam nostrum sacrificium valet ex opere operantis. Ubi discernendum est, quod sacrificium prout procedit a Christo ut a principali offerente, non est modo actio meritoria aut satisfactoria, quia modo Christus non est in statu merendi et satisfaciendi, sed prout procedit a ministro in persona Ecclesiæ militantis. Similiter quantum ad meritum de condigno pro gratia, non valet pro aliis, sed pro ipso operante tantum; quoad satisfactionem autem et meritum de congruo, etiam pro aliis valere potest.

TERTIO INQUIRES, AD QUID VALEAT SACRIFICIUM TAM EX OPERE OPERATO, QUAM EX OPERE OPERANTIS; AN PRO REMISSIONE CULPÆ, VEL PŒNÆ.

VI. Respondetur distingui debere sacrificium in quantum propitiatorium, et impetratorium. Nam loquendo de ipso ut impetratorio, non solum ad pœnam relaxandam, sed etiam ad remissionem peccatorum obtinendam, et ad augmentum gratiæ, et ad quæcumque necessitatem se extendit, etsi non semper infallibiliter. Dicit enim Tridentinum, sessione XXII citata, capite II, ex Augustino de civitate, cap. XX: « Quod hujus oblatione placatus Deus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina etiam ingentia dimittit. » Et concludit generalibus verbis: « Quod non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus; sed etiam pro defunctis nondum ad plenum purgatis rite offertur. » Quibus verbis omnia genera bonorum, sive temporalium, sive spiritualium includuntur. Nec tamen ex indignitate ministri offerentis hæc impetratio effectu caret, quia habet vim impetrandi ratione rei oblatae, quæ gratissima est Deo, et ratione Christi principalis offerentis; qui licet non sit in statu merendi, bene tamen in statu orandi et impetrandi: ac denique in persona Ecclesiæ, quæ semper est grata Deo, et virtutem hujus sacerdos qui celebrat in peccato, non privat fideles fructu sacrificii, nec tenetur aliam missam celebrare pro eo qui dedit stipendium, quia illa missa satisfacit etiam dicta in peccato mortali. Quod vero non habeat impetrationem hanc infallibilem ex eo colligitur, quod ista im-

petratio non fundatur in aliqua speciali promissione facta ipsi sacrificio infallibiliter, sed solum in ipsa natura sacrificii, et generalibus promissionibus impetrandi per orationem quod a Deo petimus; quod tamen aliquando propter occulta Dei judicia, vel manifesta peccati impediri potest.

VII. Loquendo vero de sacrificio in quantum propitiatorio, sic habet effectum infallibilem ex opere operato quantum ad remissionem pœnæ, non quantum ad infusionem gratiæ, et remissionem peccati. Sumitur ex S. Thoma supra quæst. LXXIX, art. V, ubi distinguit de eucharistia ut est sacramentum, et ut est sacrificium; et dicit, quod ut est sacramentum, habet directe illum effectum ad quem est institutum, scilicet, nutrire nos in charitate et unione ad Christum, quod utique pertinet ad gratiam; in quantum vero est sacrificium, habet vim satisfactivam, et sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna. Et potest deduci fundamentum ex verbis Concilii sessione XXII citata, capite primo, ubi inquit: « Quod per hoc sacrificium illud cruentum representatur, atque ejus virtus salutaris in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicatur. » Sed virtus crucis applicata facit effectum ex opere operato, quia intuitu ipsius satisfactionis, et meriti crucis datur; ergo per hoc sacrificium datur aliquis effectus ex opere operato, qui pertinet ad remissionem peccatorum. Rursus remissio peccatorum solum est duplex, scilicet, quoad culpam, vel quoad pœnam; sacrificium autem in quantum sacrificium non tollit culpam, quia ista solum tollitur per gratiam; dare autem gratiam pertinet ad sacramentum in quantum sacramentum, quia est signum rei sanctificantis nos; distinguitur au-

tem ratio sacrificii in eucharistia a ratione sacramenti, quia in quantum solum prodest sumentibus, in quantum autem sacrificium etiam non sumentibus prodest; ergo debet intelligi Concilium de remissione peccatorum quoad pœnam; præsertim cum postea capite secundo satisfactiones et pœnas numeret inter effectus sacrificii.

VIII. Dices valere posse sacrificium ex opere operato pro peccatis venialibus, quia Concilium dicit valere in remissionem quotidianorum peccatorum, pro nomine peccata venialia designari solent. Distinguit etiam in effectibus, quos numerat capite secundo, quod valeat pro fidelium peccatis, pœnis et satisfactionibus; ergo non solum valet pro remissione pœnæ, sed etiam culpæ; cum dicat pro peccatis et pœnis.

IX. Respondetur aliquos ita sentire, inter quos est Canus libro XII de locis, cap. XIX ad nonum habetque fundamentum in citatis verbis Concilii: et quia sacramentalia, ut aqua benedicta, tuncio pectoris, benedictio episcopalis, et alia similia valent ad remissionem peccati venialis, et probabile est, quod ex opere operato; nam inter ista sacramentalia numeratur auditio missæ. Alii tamen oppositum tenent, quia non extat promissio facta pro remissione venialis per hoc sacrificium. Quidquid tamen sit de hoc, dicimus ex ipsa natura sacrificii directe et per se solum habere vim satisfactivam, ut diximus ex S. Thoma, quæ respicit ablationem pœnæ, et constat, quia hoc sacrificium æque offertur pro vivis et defunctis, in defunctis autem solum tollit pœnam, non culpam: hæc enim supponitur remissa in hac vita; vel si aliqua venialia tolluntur in alia vita, per primum actum charitatis elicitem ab anima separata remittuntur. Ex quibus omni-

bus colligitur, hoc sacrificium non prodesse ex opere operato, nisi existentibus in gratia, quia non potest remitti pœna, nisi prius sit remissa culpa.

QUARTO INQUIRES, AN VALOR HUIUS SACRIFICII SIT INFINITUS, PRÆSER-
TIM EX OPERE OPERATO.

X. Et non loquimur de valore ex opere operantis, quia iste fundatur in meritis ministri et Ecclesiæ offerentis, quæ merita sunt finiti valoris: actio autem qua Christus modo offert hoc sacrificium ut principalis sacerdos, non est meritoria vel satisfactoria, quia est extra statum viæ, licet sit infinitæ dignitatis ut est a persona. Loquendo autem de valore ex opere operato (scilicet intuitu passionis Christi) et de vi impetrativa ratione rei oblatae, dicimus hoc sacrificium habere valorem infinitum quoad sufficientiam, et quantum est ex se; quoad efficaciam autem, seu ex parte effectus, semper esse aliquid finitum. Unde oportet hic valde distinguere valorem sacrificii et effectum. Valor pertinet ad æstimationem et pretium rei, effectus vero ad fructum quem in nobis consequimur. Sicut valor sacramentorum est ex parte virtutis meritorum Christi sufficiens ad quamcumque gratiam dandam, effectus vero est illa gratia quam de facto consequimur; et hæc semper in nobis finita est, sicut etiam fructus sacrificii, qui est remissæ pœnæ.

XI. Valor autem ipsius sacrificii et sufficientia infinita est, quia est valor sacrificii crucis, ut dicit Tridentinum, sessione xxii, capite primo. Hic autem valor est infinitus, sicut etiam valor sacramentorum, quoad sufficientiam infinitus est, quia ad quamcumque gratiam de-

servire potest ex meritis Christi. Et thesaurus indulgentiarum infinitus est, quia innititur satisfactioni Christi, quæ est infiniti valoris; ergo similiter valor huius sacrificii ex sua sufficientia infinitus est: ideoque S. Thomas dicit quæstione lxxix citata, articulo v: « Quod hæc oblatio ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum pro omni pœna. »

QUINTO INQUIRES, AN EFFECTUS PROVENIENS EX VALORE HUIUS SACRIFICII, DETERMINETUR ET MENSURETUR JUXTA DISPOSITIONEM RECIPIENTIS; AN JUXTA INTENTIONEM MINISTRI OFFERENTIS.

XII. Respondetur duplicem esse opinionem. Quidam enim tenent fructum sacrificii taxari et mensurari juxta intentionem applicantis; alii vero tenent mensurari juxta dispositionem recipientis. Et hæc sine dubio est sententia S. Thomæ, quæstione lxxix citata, art. v, dicentis: « Quod quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen solum fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, et non pro tota pœna. » Offerentes autem qui sint infra dicitur, ubi adnotandum, quod remissio pœnæ ex meritis Christi dupliciter datur in Ecclesia: primo, per indulgentiam ex thesauro Ecclesiæ: secundo, per sacrificium missæ, quatenus habet vim ex opere operato fundatam in valore passionis Christi, ut diximus. Primo modo determinatur remissio pœnæ juxta intentionem applicantis, non juxta devotionem recipientis. Unde in concessione indulgentiarum ipsi pontifices determinant quantitatem huius remissionis, quia aliquando

concedunt plenariam indulgentiam quæ remittit totam pœnam, aliquando vero concedunt tot annos, vel tot dies; et tunc illam partem pœnæ tollunt, quæ correspondet satisfactioni solvendæ in illis diebus, vel annis, si imponeretur a sacerdote, sicut in re debetur: per sacrificium autem non isto modo determinat sacerdos quantitatem pœnæ relaxandæ in his, pro quibus offert; sed relinquitur taxanda juxta devotionem et dispositionem recipientium. Hoc enim est consentaneum ipsi naturæ sacramentorum, et cujuscumque rei habentis valorem ex opere operato; semper enim fructus, seu effectus ejus determinatur juxta determinationem dantis.

XIII. Unde etiam in praxi Ecclesiæ, et communi usu hoc habetur, quod sacerdos offerens non determinat quantitatem pœnæ, quæ per hoc sacrificium remittenda est. Si enim id posset facere, in arbitrio sacerdotis esset unico sacrificio tantam quantitatem pœnæ tollere, et non plus, quantum necesse esset illis animabus, pro quibus offertur, quod si hoc non est in ejus arbitrio, sed solum in qualibet missa Deus posuit determinatam quantitatem pœnæ, quam posset tollere, et non plus, juxta applicationem sacerdotis, hoc erit retrocedere, et negare quod hoc sacrificium habeat infinitum valorem ex se, et ex opere operato; quod tamen ex Concilio Tridentino, et S. Thomæ supra probavimus. Restat ergo quod taxetur et determinetur ista quantitas juxta devotionem recipientis; et non potest id determinari juxta dispositionem ipsius ministri celebrantis, quia alias missa facta a sacerdote in peccato nihil valeret, quod est absurdum, et contra communem praxim Ecclesiæ.

XIV. Objicies ex S. Thomæ, qui

in iv, dist. xlv, quæst. ii, art. iii et iv, videtur dicere, quod suffragium quod prodest alicui ex applicatione alterius totum pendet ex intentione applicantis; ita ut remoto impedimento tantum applicetur, quantum ipse vult; ergo non dependet id ex dispositione recipientis suffragium. Item, quia si hoc sacrificium prodest juxta dispositionem recipientis et alias est infiniti valoris, posset sacerdos offerre pro quibuscumque vellet, et omnibus prodesset. Imo unica missa posset satisfacere pro multis petentibus illam, quia omnibus prodest juxta dispositionem recipientium.

XV. Respondetur illa verba non eo modo reperiri apud S. Thomam, sed solum ponit generalem doctrinam, quod suffragia pro sunt illis, pro quibus fiunt, et eis solis pro quibus applicantur ex intentione facientis suffragium: non tamen dicit quod quantitas fructus ex suffragio provenientis mensuratur penes voluntatem applicantis, et non penes devotionem suscipientis. Et licet hoc diceretur de suffragio, quod est præcise ex opere operantis, et ita juxta voluntatem ipsius determinatur, ut in eleemosyna, jejuniis, etc. tamen in sacrificio missæ hoc non habet locum, quia nititur meritis Christi infinitis, et applicatio determinata eorum ex dispositione recipientis dependet.

XVI. Ad secundum dico, valere sacrificium pro omnibus pro quibus offertur, licet non eodem modo: vel quia non offertur specialiter pro illis, sed generali ratione qua offertur pro tota Ecclesia; vel quia non eodem modo omnes sunt dispositi: non tenetur autem sacerdos pro omnibus offerre specialiter, sed solum pro illis quibus obligatur ex aliquo debito, vel pro quibus gratiose vult. Quomodo autem non possit

unica missa pro multis debitis, seu stipendiis satisfacere, dicemus articulo sequenti.

ULTIMO INQUIRES, QUIBUS PERSONIS PROSIT HOC SACRIFICIUM, ET PRO QUIBUS DEBEAT OFFERRI.

XVII. Respondetur generaliter includi omnes istas personas in duplici genere, quia vel sunt offerentes, vel illi pro quibus offertur, ut patet in illis verbis canonis: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Et S. Thomas quæst. LXXIX, art. v dicit: « Prodesse sacrificium his, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus. » Inter offerentes diversæ numerantur personæ. Primo, qui faciunt pro se celebrari missam: secundo, qui assistunt et cooperantur illi: tertio, ipse sacerdos, cujus ministerio fit sacrificium. Qui offerri faciunt adhuc dupliciter se habent: quidam nimis remote, et quasi in habitu offerunt (scilicet omnes fideles, qui constituunt corpus Ecclesiæ, si quidem sacrificium nomine Ecclesiæ offertur, cum sit publica ejus actio.) Alii vero proxime et in actu cooperantur, et faciunt offerri, ut qui dant eleemosynam pro stipendio, aut qui instituit aliquam fundationem cum onere missarum. Qui offerunt solum remote, et quasi in habitu, dicuntur accipere fructum sacrificii ex intentione generali sacerdotis, quæ dicitur generalis, quia ad omnem Ecclesiam se extendit, et specialiter ad prælatos, et explicatur in illis verbis canonis: In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta, etc.

XVIII. Unde aliqui suspicantur, ex ista generali applicatione, seu intentione non provenire omnibus fidelibus effectum aliquem ex opere operato, quia nec illis applicatur

per specialem intentionem, nec aliqua sensibili actione communicant sacrificio, sicut assistentes et facientes offerri: nec in ipso canone petitur pro illis remissio pœnæ, quæ est effectus ex opere operato, sed effectus aliquis impetrationis, ut pacificare, custodire, et regere dignetur. Quia vero specialiter pro papa, pro antistite, id est, pro episcopo illius diocesis, pro rege, etc. illis particularibus personis aliquem fructum ex opere operato provenire verisimilius est.

XIX. Secundo, inter offerentes computantur qui missæ assistunt, vel illi ministrant. Unde etiam pro illis orat sacerdos in canone, dum dicit: Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, ubi rursus confirmatur dispositionem, seu devotionem recipientium attendi pro fructu sacrificii determinando.

XX. Tertio, ipse sacerdos, qui est minister offerens, participat de fructu sacrificii duplici titulo. Primo, ut minister publicus Ecclesiæ in persona Christi: secundo, ut privata persona, quatenus est unus de circumstantibus. Et his omnibus applicatur de fructu sacrificii, tam ex opere operato, quam ex opere operantis, juxta dispositionem suam, et majorem vel minorem cooperationem ad tale sacrificium. Sicut qui dat eleemosynam et stipendium, magis cooperatur, quam qui gratiose petit sacrificium; et qui dat abundantioram eleemosynam magis cooperatur, et melius disponitur ad fructum sacrificii, cæteris paribus.

XXI. Inter eos autem pro quibus offertur hoc sacrificium, computantur omnes illi pro quibus specialiter sacerdos applicat fructum sacrificii, vel ex obligatione stipendii, vel ex gratiosa voluntate, vel ex alio

debito, et pro quibus orat in utroque memento, sive sint vivi, sive defuncti. Ex ista si quidem applicatione dirigitur ad illos fructus sacrificii, tam ex opere operato, quam ex opere operantis; licet quantitas illius juxta fidem et devotionem eorum determinetur.

QUI VERO SINT CAPACES HUIUS FRUCTUS, TAM EX OPERE OPERANTIS, QUAM EX OPERE OPERATO.

XXII. Respondetur inter defunctos solum prodesse animabus purgatorii, quibus prodesse est de fide, ut constat ex Tridentino sessione XXII, cap. II, et sessione XXV in principio. Et certum est illis provenire effectum ex opere operato, quidquid aliqui senserint in contrarium, quia dicunt non esse membra Ecclesiæ, quæ est in hac vita. Sed oppositum est certum, quia fructus qui provenit illis, non dependet ex meritis sacerdotis, quia etiamsi sit in peccato, prodest illis sacrificium: ergo ex meritis Christi tantum dependet: ergo ex opere operato. Et licet illæ animæ non sint Ecclesiæ membra visibilia, sunt tamen invisibilia, mediante fide, in qua nobiscum communicant. Unde damnati, qui nec habent fidem, nec sunt in statu redemptionis, nihil participant de fructu hujus sacrificii. Beati autem illo non indigent, licet magnum gaudium accidentale ex oblatione sacrificii participant.

XXIII. Inter viventes autem sunt capaces hujus sacrificii, quantum ad fructum ex opere operato, omnes fideles baptizati qui sunt in gratia, et non sunt excommunicati. Nam infideles qui non sunt baptizati, nondum sunt capaces sacramentorum, neque sacrificii, et cujuscumque alterius communicationis rei sacræ, ex opere operato. Similiter qui non

sunt in gratia, non possunt accipere remissionem pœnæ, quia hæc supponit culpam remissam. Excommunicati etiam privantur suffragiis Ecclesiæ, et communione fidelium, et ideo pro illis orari non potest publica oratione, qualis est missa, nec illis applicari fructus sacrificii. Et idem est de hæreticis et schismaticis, quia excommunicati sunt. Per modum autem impetrationis potest prodesse omnibus istis sacrificium, etiam non baptizatis, sicut etiam pro omnibus illis orat Ecclesia in die parasceves. Directe tamen non potest orari pro excommunicatis oratione publica, licet indirecte etiam pro illis oratur, quatenus petitur etiam a Deo pro hæreticis, ut resipiscant, et pro omnibus errantibus ut reducantur a via sua mala: bene tamen potest aliquis in oratione privata commendare Deo excommunicatos. Pro catechumenis autem qui in fide decesserunt ante baptismum, prodest sacrificium hoc per modum impetrationis, vel ex opere operantis, quia fructus ex opere operato, sive per sacramenta, sive per sacrificium non potest illis communicari, nec aliquis est capax illius nisi post baptismum.

ARTICULUS IV.

De stipendio missarum, et de obligatione circa illas, et de reductione missarum.

PRIMO QUÆRITUR, QUOMODO STIPENDIUM RECIPIATUR PRO MISSA SINE PECCATO SIMONIE, CUM VIDEATUR DARI PRO RE SACRA.

I. Communiter respondetur, hoc stipendium non dari pro ipsa missa; sed pro sustentatione ministri, quæ aliquid temporale est; quæ est solu-